



**Oliviana**

Mouvements et dissidences spirituels XIII<sup>e</sup>-XIV<sup>e</sup> siècles

5 | 2016

5

---

## Quid ponat ius vel dominium

**Petrus Johannis Olivi**

Ferdinand Delorme et Sylvain Piron (éd.)



**Édition électronique**

URL : <http://oliviana.revues.org/882>

ISBN : 978-2-8218-1895-8

ISSN : 1765-2812

**Éditeur**

Groupe d'anthropologie scolastique  
(Centre de recherches historiques-EHESS-  
CNRS)

**Référence électronique**

Petrus Johannis Olivi, « Quid ponat ius vel dominium », *Oliviana* [En ligne], 5 | 2016, mis en ligne le 08 mars 2017, consulté le 08 mars 2017. URL : <http://oliviana.revues.org/882>

---

Ce document a été généré automatiquement le 8 mars 2017.

© Oliviana

---

# Quid ponat ius vel dominium

Petrus Johannis Olivi

Ferdinand Delorme et Sylvain Piron (éd.)

---

La question *Quid ponat ius* a été initialement publiée en 1945 par Ferdinand Delorme à partir d'un unique manuscrit (Bibliothèque Apostolique Vaticane, Vat. lat. 4986, sigle V), témoignant de la version finale établie par l'auteur dans sa *Somme de questions disputées*<sup>1</sup>. L'édition proposée ici tient compte d'un second témoin (Firenze, Biblioteca Nazionale Centrale, Conv. Sopp. G. I. 671, sigle F), dérivant d'un état antérieur du texte<sup>2</sup>. La confrontation des témoins permet ainsi d'observer une série d'interventions éditoriales menées par Olivi, notamment dans les formules d'articulation entre les différentes parties de la question.

## <Quaestio>

- 1 Quoniam in omni opere et negotio iustitie et iure<sup>3</sup>, nomine iuris seu<sup>4</sup> iurisdictionalis auctoritatis et<sup>5</sup> potestatis ac debiti et obligationis utimur, sitque a quibusdam quesitum sepe an huiusmodi addant realiter aliquid supra subiecta vel extrema quibus attribuuntur, utpote<sup>6</sup> an ius regie potestatis et auctoritatis super suum regnum et super suos<sup>7</sup> subditos vel ius proprietatis super domo propria aliquid realiter addant super res vel personas quarum dicuntur esse, et e contra an debitum quo servi et subditi tenentur suo regi vel domino vel monachus abbati aliquid reale addant ad ipsos subditos vel monachos, et sic de aliis consimilibus : idcirco, non inutile fore existimo<sup>8</sup> saltem aliquid vel<sup>9</sup> modicum de questiuncula illa<sup>10</sup> tractare, et precipue quia ad omnia signa voluntaria et sacramentalia pertinet huiusmodi<sup>11</sup> difficultas. Solet enim consimiliter<sup>12</sup> queri an proprie significationes nominibus vel orationibus vocalibus a sola voluntate hominum date<sup>13</sup> addant aliquam essentiam ipsis vocibus aut<sup>14</sup> voluntatibus vel intentionibus instituentium vel proferentium voces illas ad hec vel illa significanda ; et consimiliter an character seu<sup>15</sup> consecratio baptismalis vel episcopalis vel<sup>16</sup> sacerdotalis et<sup>17</sup> ius participationis vel collationis seu administrationis sacramentorum eis annexum addant aliquam realem essentiam super personas baptizatorum et<sup>18</sup> sacerdotum et super extrinseca signa et opera sacramentorum. Et quoniam argumentatio facta fideliter pro et

contra viam parat et parit ad veritatem solutionis sine falsi vel ambigui obstaculo contuendam<sup>19</sup>, idcirco arguatur pro parte utraque.

## <Pars affirmativa>

- 2 Quod igitur aliquid realiter addant, arguitur<sup>20</sup> : primo quia stultum est dicere quod nobilissima universi nichil ponant aut quod minus ponant quam vilissima quecumque<sup>21</sup> ; constat autem quod potestas regalis et sacerdotalis sunt de nobilissimis universi, ergo etc.
- 3 Secundo, quia illud in quo consistit et a quo dependet summus ordo nature rationalis et partium universi, impossibile est quod sit nichil ; sed ius debiti quo<sup>22</sup> tenemur deo<sup>23</sup> et superioribus nostris aut quibuscumque aliis est fundamentum totius ordinis nostri ad deum et proximum, et ad nos ipsos et ad omnes actus virtutum, ergo etc.
- 4 Tertio quia illud cuius transgressio Deum horribiliter offendit et mortalem culpam ac reatum eternum inducit non potest esse nichil aut quid ignobile ; sed transgressio iurium predictorum hoc facit ; propter huiusmodi enim<sup>24</sup> ius proprietatis, furtum est mortale peccatum. Constat autem quod<sup>25</sup> non esset furtum nisi<sup>26</sup> esset contra ius proprietarium, quia furtum non est aliud quam « acceptio rei aliene invito domino ». Videmus etiam quod eo ipso quo aliquis factus est<sup>27</sup> rex vel prelatus vel abbas, eo ipso non obedire preceptis eius est mortale peccatum, quod utique a nativitate<sup>28</sup> non fuisset et irreverentia facta in eum est longe gravior quam prius fuisset, ergo etc.
- 5 Quarto, quia omnis homo sane mentis dicit quod ei qui de novo factus est rex vel abbas est aliquid adquisitum de novo, aliqua scilicet<sup>29</sup> dignitas et<sup>30</sup> potestas ; unde et vere dicitur habere quamdam auctoritatem et potestatem quam prius non habebat. Monachus etiam, eo ipso quod<sup>31</sup> vovet seu profitetur regulam monachalem dicitur sortiri vel acquirere novum statum et novam obligationem quam prius non habebat, et simile est<sup>32</sup> de omni voto et promissorio iuramento.
- 6 Quinto quia si huiusmodi nichil realiter ponunt in hiis quorum sunt, ergo deus nihil reale dat, qui dat<sup>33</sup> alicui regiam dignitatem et potestatem aut quamcumque aliam dominationem vel<sup>34</sup> iurisdictionem ; quod valde videtur absurdum, quia secundum<sup>35</sup> hoc nullus<sup>36</sup> tenetur gratias agere hiis qui eis dederunt iura et qui ius proprietatis suarum rerum transtulerunt in ipsos<sup>37</sup>.
- 7 Sexto, quia relatio que nichil<sup>38</sup> ponit in aliquo extremorum est solum relatio secundum dici, et idem est respectu extremi in quo nichil ponit ; huiusmodi<sup>39</sup> autem relationes nullo modo sunt actu nisi solum in cogitante et quamdiu cogitantur vel dicuntur ; constat autem quod potestas regia aut<sup>40</sup> quecumque vera iurisdictione vel obligatio sive servitus aliquorum est vere actu, quamvis hoc non cogitetur vel dicatur a nobis ; ergo ipsa extra nostrum cogitatum et dictum ponit aliquid reale<sup>41</sup>.
- 8 Septimo quia videmus quod eo ipso quod<sup>42</sup> vox vel<sup>43</sup> vocalis oratio est communiter ordinata ad aliquid significandum, ita<sup>44</sup> quod illius rei significationem et non aliam imprimit audienti ; unde et discipuli multa addiscunt a doctoribus suis per intermedias locutiones et voces. Videmus etiam quod loquentes vel iurantes sophisticè vel dupliciter et non in communi sensu<sup>45</sup> et significatione vere<sup>46</sup> verborum reputantur mendosi et periuri. Ergo videtur quod aliqua vis significativa sit in huiusmodi<sup>47</sup> vocibus, quod non esset nisi ab hominibus et a doctoribus esset ad hoc communiter institute et tandem prolate vel scripte.

## <Pars negativa>

- 9 In contrarium autem, scilicet quod nichil reale addant<sup>48</sup>, arguitur primo viam septemplici ; primo scilicet<sup>49</sup> ex parte efficientis et ex modo efficiendi huiusmodi habitudines seu relationes. Videmus enim quod per causas valde absentes et distantes fiant seu introducuntur, ita quod quantacumque distantia nullum prebet impedimentum. Ita enim potest rex vel quicumque dominus dare sua iura a absenti sicut [et a] presenti et absens ita potest<sup>50</sup> per consensum expressum ea accipere sicut et presens. Non videtur autem quod a causis creatis possit esse talis modum efficiendi realis.
- 10 Preterea, istud fit per solas causas voluntates interiores et voces exteriores, exteriores<sup>51</sup> non quidem in quantum sunt naturaliter efficaces et fortes, sed solum in quantum sunt voluntaria signa voluntatis interne ; sed per non hoc<sup>52</sup> non videntur posse effici tot potestates et habitudines quot innumeris hominibus dantur et acquiruntur per sola verba et per solos consensus verbis expressos.
- 11 Preterea, sepe et sepius hec dantur sub conditione, ita quod illa extante est datum et non aliter ; conditio<sup>53</sup> autem<sup>54</sup> illa frequenter non extat usquequo verbum et actualis voluntas dantis transeat, ut verbi gratia si rex dicat militi : « Do tibi hoc castrum si autem<sup>55</sup> post decem annos fulgur ceciderit in ipso », vel quodcumque simile<sup>56</sup>. Nec potest dici quod ab actu dantis iam preterito ius postmodum militi acquisitum fuerit realiter productum, nec ab ipso fulgure sic cadente, nec est dare aliquam aliam causam per quam hoc sit factum. Et idem est de testamentis et legatis, que non valent nisi post mortem legantis<sup>57</sup> : nunquam enim mors testatoris est causa efficiens iuris acquisiti heredibus vel successoribus in rebus ipsius, utique non videtur<sup>58</sup>.
- 12 Preterea, absolute et absque conditione possunt huiusmodi dari, non pro presenti sed pro futuro, utpote si dicatur : « Do tibi hoc ita quod sit tuum post annum et usque tunc nichil iuris penitus habeat in illo » , constat autem quod nullum agens creatum potest in nunc<sup>59</sup> presenti efficere futurum<sup>60</sup> pro solo futuro tempore.
- 13 Preterea, omnis effectus saltem totalis et immediatus est similitudo sui immediati principii activi et est quedam immediata influentia eius ; sed huiusmodi iura et habitudines non sunt similitudines vocum vel consensuum per quos introducuntur, immo vix conveniunt ad invicem preterquam in generalibus rationibus entis ; non etiam fluunt ab eis sicut fluit radius a sole, quia tunc statim desinerent esse<sup>61</sup> quando esse desinunt cause ille<sup>62</sup>.
- 14 Preterea, unus et idem effectus non videtur posse immediate effici ab innumeris causis diversorum generum ; sed huiusmodi possunt dari et acquiri per innumera et diversissima signa et per innumeros et diversissimos modos a largitore pro libito institutos et factos.
- 15 Preterea, nullum agens creatum potest pro libito<sup>63</sup> facere quecumque vult et prout vult ; sed omnia iura que dari possunt a quocumque rege vel homine habente plenum et liberum dominium dandi illa possunt mox dari pro libito<sup>64</sup> dantis et prout vult et quomodo vult<sup>65</sup> et quantum vult ; ergo etc<sup>66</sup>.
- 16 Preterea, huiusmodi non educuntur de potentia materie per motum neque in tempore neque durantibus locutionibus per quas dantur, sed in fine earum, nec per virtutem naturalem causarum et actionum per quas dantur, nec per directionem seu conversionem et applicationem et protensionem<sup>67</sup> virtualis aspectus causarum et <sup>68</sup> potentiarum

activarum super subiecta<sup>69</sup> quibus de novo dantur huiusmodi iura vel<sup>70</sup> habitudines ; sed per hunc modum non videntur posse<sup>71</sup> realiter effici a predictis, ergo etc<sup>72</sup>.

- 17 Preterea, ad eorum introductionem non solum requiritur consensus dantis, sed etiam consensus accipientis<sup>73</sup>, et quando tota una civitas aliquod donat, requiritur consensus<sup>74</sup> cuiuslibet de toto populo aut maioris partis, et consimiliter requiritur ibi consensus maioris partis alterius civitatis illud donum vel pactum acceptantis ; non videtur autem posse dari quomodo<sup>75</sup> per donum vel pactum<sup>76</sup> realiter efficiatur a tot consensibus<sup>77</sup> aut quomodo tot<sup>78</sup> consensus tot personarum realiter cooperentur<sup>79</sup> ad generationem<sup>80</sup> illius.
- 18 Preterea per consimiles arguendi modos potest ad hoc argui ex detractio<sup>81</sup> vel desitione<sup>82</sup> huiusmodi habitudinum et iurium.
- 19 Secundo arguitur ex parte subiecti istarum habitudinum et iurium, primo<sup>83</sup> quia ius<sup>84</sup> regie potestatis et dignitatis vel cuiuscumque dominationis vel potestatis<sup>85</sup> aut subiectionis vel servitutis eis opposite non videtur esse in corpore domini vel servi, nec in aliqua parte eius, nec<sup>86</sup> in potentiis sensitivis, nec in<sup>87</sup> intellectu<sup>88</sup> aut in voluntate, saltem sic quod totaliter sit in altero illorum<sup>89</sup> et multo minus sic quod simul<sup>90</sup> et totaliter sit in quolibet illorum. Non enim videtur quod aliquod accidens eiusdem generis et eiusdem speciei et idem numero possit esse in omnibus illis, nec potest aliquod illorum pro proprio subiecto habere, quin ab ipso sumat rationem generis vel differentie, utpote quod accidens corporis sit corporale et intellectus intellectuale et affectus aliquid affectivum.
- 20 Preterea, absque reali mutatione cuicumque istorum possunt predicta iura auferri et dari, acquiri et admitti, et consimiliter<sup>91</sup> cuilibet signo voluntario potest dari et auferri sua significatio aut multipliciter variari, ipso signo secundum suam realem existentiam<sup>92</sup> in nullo variato. Unde illa<sup>93</sup> locutio « homo currit », seu prolata seu scripta, absque sui reali variatione potest alia innumera, preter id<sup>94</sup> quod modo significat, significare ; si homines velint, per solam mutationem rei significate, potest esse nunc vera<sup>95</sup>, nunc falsa. Uni etiam carte vel instrumento potest dari vel auferri valor quem habet pro libito<sup>96</sup> regis, instrumento<sup>97</sup> in nullo realiter variato ; et etiam per solam solutionem pretii in instrumento contenti cessat de iure valor ipsius. Et idem est de sigillo regis, cuius valor potest cessari sicut et dari absque reali mutatione ipsius ; unde et dato quod multa sigilla omnino secundum rem similia fiant a fabris, aut multa similia instrumenta a multis notariis non habentibus ius notarie, constat quod non habebunt ius vel valorem illius.
- 21 Tertio arguitur ex parte fundamenti in quo<sup>98</sup> relationes predictarum habitudinum oportet immediate fundari. Omnis enim realis relatio habet aliquod fundamentum per cuius generationem et corruptionem corrumpitur et generatur ; sed in proposito, nullum tale potest realiter dari, ymmo sole ipse habitudines personis acquiruntur vel auferuntur, nullo alio eis acquisito vel sublato. Ager enim Petri, quod adquisivit ei ius emptionis<sup>99</sup>, habet<sup>100</sup> solum relationem possessionis respectu Petri, et quando per venditionem vel dationem transfertur a Petro in Paulum, quid aliud perdit nisi solam relationem possessionis vel proprietatis ad Petrum<sup>101</sup> ? Videtur igitur quod huiusmodi relationes nullum reale fundamentum habeant in hiis quorum esse dicuntur.
- 22 Sed forte dicitur quod saltem in quibusdam hoc habeant. Monachalis enim professio et obligatio videtur fundari in actuali et habituali proposito seu consensu ipsius monachi. Sed contra hoc obiicitur<sup>102</sup> quia totaliter abscedere<sup>103</sup> actuali et habituali consensu monachi suam regulam profitentis, in tantum quod omnino consensus contrarius sit in eo, constat quod adhuc manet in eo obligatio et professio monachalis ; sed impossibile est quod maneat absque illo in quo immediate fundatur et radicatur.

- 23 Preterea, dato quod fictitie voverit statum et regulam monachalem, absque scilicet voluntate<sup>104</sup> servandi, adhuc nichilominus est in eo obligatio professionis monachalis<sup>105</sup>.
- 24 Quarto arguitur ex parte quidditatis earum, quia habitudo domini vel servitutis vel pacifice possessionis seu proprietatis ipsius agri, aut habent essentiam simplicem vel extensum, et<sup>106</sup> intellectualem vel corporalem, et sic de aliis. Si simplicem et omnino indivisibilem, tunc aut hec simplicitas est punctalis et unum solum punctum sui subiecti occupans, aut est simplicitas intellectualis multas partes sui subiecti simul ambiens et occupans, et nullum horum poterit dari absque multis inconvenientibus et breviter, preter solas rationes respectuum, nulla realis essentia vel quiditas potest eis assignari, cum tamen, sicut alibi est probatum, sola ratio relativa per se sumpta absque omni alia quiditate non sit aliquid reale nec aliquam essentiam realiter diversam addit<sup>107</sup> ad essentiam super quam immediate fundatur.
- 25 Preterea, nulla realis essentia potest in se essentialiter includere rationem talium dominorum vel iurium vel servitutum vel temporalium debitorum, ut verbi gratia nunquam alicui cuicumque quantitati vel qualitati vel situi potest essentialiter inesse regale ius vel<sup>108</sup> regalis potestas aut debitum servitutis aut ius proprietatum talis domus vel agri.
- 26 Preterea, idem ius numero videtur esse dantis et recipientis aut vendentis et ementis, alias dans vel vendens iura sua non dat vel vendit iura sua, si empto vel successor non recipit illa eadem iura et non alia. Sed hoc est impossibile, si illud ius est aliquod reale accidens personam dantis prius informans, ergo etc. Quomodo tamen sit idem vel non idem, in sequentibus poterit tangi<sup>109</sup>.
- 27 Quinto arguitur ex effectibus huiusmodi iurium et iurisdictionalium potestatum. Nam effectus earum possunt esse infiniti et quasi infinitorum generum et specierum quantum est ex parte ipsarum potestatum. Rex enim ita cito potest absolvere vel condemnare infinitos reos sicut unum solum. Potestas enim regalis ad tot effectus genere et specie diversos se extendit, quot per regem possunt ordinari vel imperari in regno ; unde potest precipere vel dissolvere leges et precepta diversissima et innumera et precepta<sup>110</sup> spectantia ad bella et alia spectantia ad intrinsecum et pacificum statum civium. Potest etiam ita cito dare vel negare dona<sup>111</sup> innumera sicut unum. Omnia etiam hec facit solo imperio, non per modum naturalis agentis et naturalis actionis, nec eo modo quo<sup>112</sup> artificiales actiones et<sup>113</sup> effectus, utpote<sup>114</sup> forme<sup>115</sup> arche et domus, fiunt ab artifice per intermedios motus organorum et instrumentorum ; sed huiusmodi non videtur posse competere alicui persone create realiter suos effectus operanti, ergo etc<sup>116</sup>.
- 28 Sexto arguitur ex eiusdem potestatis dominatione et presidentia super liberum arbitrium aliorum, etiam infinitorum. Rex enim et omnis superior imperative et potestative presidet<sup>117</sup> et dominatur omnibus<sup>118</sup> subditis suis ita quod tenentur sibi obedire, et quantum est ex se ita potest dominari infinitis populis sicut uni, et omnes si essent infiniti sub uno rege ita tenentur obedire preceptis eiusdem regis sui et omnium aliorum<sup>119</sup> sicut unusquisque tenetur ei obedire si esset rex ipsius<sup>120</sup> solius ; set nulla potestas creata seu realem essentiam creatam ponens videtur posse habere talem presidentiam super tot liberas voluntates, ergo etc<sup>121</sup>.
- 29 Septimo arguitur ex comprehensione multarum potestatum in una<sup>122</sup> regali dignitate et potestate<sup>123</sup>. Nam sicut dei potentia vel sapientia comprehendit in se infinitas rationes infinitarum potentiarum et intelligentiarum seu ydearum, sic in una potestate regali comprehenduntur quasi innumere potestates diversorum generum et absque ipsius<sup>124</sup>

diminutione vel admissione<sup>125</sup> potest pro libito<sup>126</sup> tot vel tot simul concedere suo baiulo vel prefecto, ita quod aliquando potestas baiuli continebit in se decem potestates, aliquando centum, aliquando mille, ita<sup>127</sup> quod simul videntur realiter plures et ab invicem separabiles et realiter una et eadem; sed hoc non videtur posse stare, si huiusmodi potestates realiter ponant aliquam essentiam creatam; ergo etc<sup>128</sup>.

## <Responsio>

- 30 Ad questionem istam<sup>129</sup>, absque preiudicio sententie melioris, videtur probabiliter dici quod predictae habitudines vere ponunt aliquid reale, non tamen addunt aliquam diversam essentiam realiter informantem illa subiecta<sup>130</sup> quorum et in quibus esse dicuntur. Ad cuius evidentiam attendendum est ordo nature rationalis ad deum et ad res universi. Est enim natura rationalis<sup>131</sup> ex se et ex omnibus acceptis a deo<sup>132</sup> debitor perfectae obedientie, et reverentie ad deum. Est etiam debitor virtutis iustitiae et unanimis ac fidelis concordie et amicitiae ad omnes personas racionales pro quanto sunt bone aut reducibiles in bonum. Rursus<sup>133</sup>, ex altitudine sue intellectualitatis et libertatis habet ordinem presidentie super res irrationabiles, ex supereminetia autem sapientiae et virtutis habet gradum cuiusdam presidentie super omnes personas in virtute et sapientia inferiores. Ultimo autem<sup>134</sup>, ex ordine quem habet ad deum ipsum divinum velle, ubicumque illud contuetur, debet habere pro inviolabili lege. Illud ergo quod deus vult haberi pro superiori et loco dei et cui tanquam sibi vult aut usque ad certam mensuram aut in omnibus obediri, debet haberi omnino sicut deus vult. Prefatum autem debitum seu prefatus ordo non addit aliquam essentiam super essentiam<sup>135</sup> persone cuius est et super essentiam gratiarum illius persone susceptarum a deo, quia partim ex natura sua, partim ex gratiis nature superadditis habet ordinem predictum et est debitor eius.
- 31 Ulterius sciendum quod, sicut deus nullo addito potest velle quod ille<sup>136</sup> teneat locum eius<sup>137</sup>, ita quod illi tanquam sibi obediatur vel quod id quod iste dixit habeatur pro lege sive pro rato tanquam dictum dei, sic talis nullo sibi<sup>138</sup> addito, eo ipso quod<sup>139</sup> deus hoc vult et pro tempore pro<sup>140</sup> quo hoc<sup>141</sup> vult, habet in se ordinem predictae voluntatis dei, eo scilicet ipso quod<sup>142</sup> est obiectum et volitum divini velle.
- 32 Et si queratur quid ponit realiter ordo ille, potest dici quod duo sibi invicem connexa, quorum primum est ipsum velle divinum in quantum est tali voliti et in quantum continet in se illud<sup>143</sup> volitum. Secundum est entitas et existentia<sup>144</sup> actualis ipsius voliti prout est actualiter subsistens divino velle tanquam eius actuale obiectum seu volitum. Si igitur nichil est realius et<sup>145</sup> divinius divino velle, et si post deum nichil est<sup>146</sup> realius aut divinius quam esse actuale volitum<sup>147</sup> dei et precipue quando est ad hoc volitum ut actu super alios gerat et teneat vicem dei. Patet quod ordo predictus est quid realissimum et divinissimum, quamvis nichil realiter addat super predicta diversum.
- 33 Ulterius<sup>148</sup> sciendum quod quidam est ordo sic absolute prefixus et inclusus in ipsa absolutissima ratione virtutis et iustitiae que est<sup>149</sup> quod deus non potest nec debet oppositum eius velle, et ideo ad illum natura rationalis absolutissime et omnino immobiliter ferri debet, quod quidem debitum partim per indifferentiam includitur in essentia sua, partim in essentia gratuitorum accidentium suorum in quantum suorum; et hic ordo communiter vocatur ordo iuris naturalis. Alius autem est ordo sic a dominativo imperio divine voluntatis procedens quod deum ipsum et eius oppositum seu absolute seu<sup>150</sup> conditionaliter pro libito<sup>151</sup> potest velle. Uterque autem ordo semper in se includit duo predicta, scilicet actualem rationem divini velle et<sup>152</sup> divini voliti.

- 34 Dignitas igitur<sup>153</sup> aut iurisdictio et potestas regalis ponit realiter duo predicta, et idem est de dominio seu iure proprietatis quod quis habet in domo vel agro; et hinc<sup>154</sup> est quod transgrediens hoc ius vere dicitur transgredi dei voluntatem et legem et tanto magis quanto id est magis<sup>155</sup> a deo volitum et in divino velle inclusum. Preter hec autem duo ponit, sive de preterito seu de presenti, illa quibus intermediis deus vult<sup>156</sup> tale ius sortiri et habere, ut sunt electiones hominum in reges<sup>157</sup> et consensus electi aut mutue conventiones quales sunt inter vendentem et ementem et consimilia<sup>158</sup>. Sed ius ipsius iuris principaliter consistit<sup>159</sup> in duobus predictis et in ratione communis iustitie, que prout absolutissima et abstractissima est<sup>160</sup>, est realiter idem quod rectitudo divini velle et divine sapientie<sup>161</sup>; prout vero est concretive in mentibus rationalibus est naturalis vel gratuita rectitudo intellectus et affectus earum, per quam tenent et dicunt hoc vel illud debere fieri vel non fieri<sup>162</sup>, aut hoc vel illud esse iustum aut iniustum.
- 35 Ex predictis igitur faciliter potest quis advertere quid ponit ius cuiuscumque superioris auctoritatis et potestatis et ius subiectionis vel obligationis ad eam.

### < De signis voluntariis >

- 36 Restat igitur videre de signis voluntariis, quid scilicet ponit ipsorum significatio active sumpta. Et certe quanto subtilius et perspicacius illam attenderis, invenies quod supra realem essentiam rei que pro signo assumitur<sup>163</sup>, nichil addit ipsa significatio nisi solum mentalem intentionem instituentium et acceptantium, et ipsius qui actu illam<sup>164</sup> rem assumit ad significandum, et eius qui eam audit vel accipit sub ratione talis significationis seu<sup>165</sup> talis signi. In hiis tamen que<sup>166</sup> ab imperio talis intentionis producuntur in esse, sicut est vox vel<sup>167</sup> nutus, ipsa significatio, ultra intentionem significantis et ultra essentiam rei que dicitur signum, addit habitudinem effectus imperativi et imperative<sup>168</sup> producti ab intentione significantis; pro quanto tamen per significationem proprie designatur respectus<sup>169</sup> signi ad suum significatum, sic in signis mere voluntariis huiusmodi respectus nichil reale ponit actu preter actualem intentionem significantis et aliorum qui rem illam accipiunt tanquam designativam talis significati.
- 37 Quando igitur intentio principalis instituentis et significantis est illa intentio divinissima que est deus et intentio secundarii significantis est divine intentioni subiuncta et secundum illam intendens signum illud assumere, tunc utique realitas illius significationis est quid divinissimum, et ideo signum habens talem significationem<sup>170</sup> in quantum tale est venerandum ut quid dignissimum<sup>171</sup> et precipue quando cum hoc est ordinatum ad significandum rem divinissimam, utpote deum et<sup>172</sup> gratiam eius, et maxime quando continet ipsam rem divinam presentialiter sicut est in sacramento eucharistie, et potissime quando per modos universalissimos et solemnissimos est huiusmodi significatio instituta et promulgata a Deo. Tunc autem est in summo, quando cum tribus predictis divinum velle sic ei assistit quod immobiliter vult per illud signum aliquod ius<sup>173</sup> seu aliquem ordinem divinissimum<sup>174</sup> dari et etiam ordinem divine gratie et amicitie, nisi adsit impedimentum certum ex parte suscipientis.
- 38 Et hoc modo est in sacramento baptismi<sup>175</sup> et confirmationis et sacerdotalium ordinum. Unde sacramentum baptismi prout dicit illud per quod aliquis baptizatur, includit in se duo divinissima, scilicet significationem seu intentionem dei significantis et talem significationem instituentis et assistentiam divini velle ad conferendum sanctificationem<sup>176</sup> et gratiam iustificantem ipsum baptizatum. In quantum autem per baptismum



intelligitur baptismalis consecratio, que semper remanet in baptizato, etiam quando peccat, quam quidam baptismalem characterem vocant, duo divinissima in se includit ad minus ; quorum<sup>177</sup> primum est ordo divini<sup>178</sup> voliti et ordo divini velle volentis et statuentis omnem baptizatum rite, eo ipso esse divino cultui dedicatum et in sancto statu esse<sup>179</sup> collocatum<sup>180</sup> tanquam ipsius status ecclesiastici professorem et pro tanto statum ac professionem et obligationem divinam et a deo volitam et statutam ; secundum est ordo et assistentia divini velle ad dandum gratiam ac per consequens gloriam baptizato, nisi ipse per actuale peccatum det vel dederit impedimentum, et pro tanto baptismalis character dicit quoddam immobile ius ad gratiam obtinendam non existente<sup>181</sup> prefato impedimento.

## <Ad argumenta primae partis>

- 39 Ex hiis autem<sup>182</sup> patet lata via respondendi ad argumenta utriusque partis. Prima enim pro quanto probant quod ille<sup>183</sup> habitudines ponunt aliquid reale, verum probant, quamvis ex hoc non sequatur quod illud realem addant<sup>184</sup> aliquam essentiam ad predicta ; reliqua vero alterius partis bene probant quod illud quod ponunt iura potestativa sit principaliter increata potestas divini velle et quod illud quod principaliter ponit ratio significationis active sit in intentionibus intellectualium personarum.
- 40 Ad primum igitur prime partis patet<sup>185</sup>, quia quanto nobilior est deus et res prout<sup>186</sup> sunt in deo vel prout sunt dei obiecta, tanto illud quod ponunt predicta iura vel signa sacra iuxta<sup>187</sup> modum prescriptum est nobilius quam si solum poneret unam novam essentiam accidentalem.
- 41 Ad secundum etiam patet quia illud debitum fundatur partim in iustitia divini velle illud exigente a nobis, partim in essentia et in actualibus<sup>188</sup> donis nostre nature.
- 42 Ad tertium etiam patet quod, eo ipso quod transgressio iuris predicti est transgressio divini velle et divine legis, eo ipso convincitur quod potius ponit divinum velle et suam legem quam solam legem creatam<sup>189</sup>.
- 43 Ad quartum et quintum dicendum quod, si homo potest dare alicui suum amorem ita quod ille ex hoc fiat de novo eius dilectus, absque hoc quod illi dilecto aliqua nova essentia imprimatur, non est mirum si deus multo magis potest de non volito<sup>190</sup> facere volitum et hoc sub hoc<sup>191</sup> modo vel illo, et ad hoc officium vel ad illud. Sicut etiam<sup>192</sup> nostrum conditionale volitum potest fieri absolute volitum per solum adventum conditionis absque hoc quod suum<sup>193</sup> volitum in sua substantia varietur, sic utique et multo amplius potest fieri hoc de conditionali volito dei<sup>194</sup>. Unde si vovens habet<sup>195</sup> teneri ad regulam monachalem, si sub tali vel tali modo profitendi illam voveret, non est mirum si per solum adventum huius conditionis ille a iustitia divini velle astringatur et obligetur ad illud, ita quod non possit illud transgredi sine culpa et pena. Dicendum igitur quod ei qui de novo fit legitimus rex, datur et acquiritur novus ordo ad divinum velle et ad reliqua prout est prefixum a<sup>196</sup> dei velle. Hic autem ordo super personam regiam addit illa que superius sunt tacta.
- 44 Si autem instetur quod dei velle ab eterno fertur super omnia volita sua, et ita eius latio super hoc obiectum<sup>197</sup> non potest de novo acquiri ab isto obiecto, nec de novo dari<sup>198</sup> sibi a deo, cum sibi data sit ab eterno, dicendum quod illud quod est ab eterno respectu dei pro isto nunc, non fuit actu ab eterno respectu rerum creatarum vel creandarum. Unde licet deus ab eterno dilexerit Petrum pro illo tempore pro quo erat futurus sanctus, non

propter hoc Petrus ex parte sua fuit ab eterno<sup>199</sup> actuale seu reale obiectum dilectionis<sup>200</sup> divine, sed potius ex tempore, et pro tanto dicitur hoc de novo sibi<sup>201</sup> datum et acquisitum.

- 45 Rursus, sciendum quod licet actus creature rationalis transeant, nichilominus per illos potest acquirere quamdam rationem respectivam, nove scilicet habitudinis et novi ordinis, nullo alio addito preter actum : cuius ratio est, quia tam a se quam ab omni<sup>202</sup> alia mente rationali potest ex tunc vere intelligi talem actum fecisse vel in se habuisse, ac per consequens potest et debet haberi pro auctore vel subiecto actus preteriti, et pro tali et<sup>203</sup> pro quali debet haberi actor talis actus, quia sibi per talem actum nullo alio sibi addito acquirit novum respectum ad ipsum actum et ad reliqua per intermedium actum<sup>204</sup>. Idcirco, nullo alio sibi addito, per solos actus pretereuntes potest creatura rationalis acquirere habitudines meriti et demeriti et iuris vel debiti, non solum apud Deum, sed etiam respectu omnis creature rationalis ; iuxta quod omnis mens rationalis sub alia ratione debet accipere eum qui peccavit pro quanto peccavit quam eum qui nunquam peccavit, et aliter eum qui aliquid vovit quam eum qui nichil<sup>205</sup> vovit.
- 46 Si autem queras quomodo novus respectus ab actu preterito differens et post ipsum permanens potest alicui persone acquiri nulla alia essentia sibi<sup>206</sup> superaddita, dicendum quod hoc fit et potest fieri dupliciter. Primo scilicet quia multa sunt relationis extrema que ante adventum alterius extremi non habent rationem actualis<sup>207</sup> relati pro eo quod tunc in sua ratione non includunt actualiter suum correlativum, et talia ex solo adventu sui correlativi assumunt<sup>208</sup> rationem actualis relationis ad illud alterum ; et hoc modo est de causa respectu sui primi effectus et de subiecto respectu accidentis. Non enim potest dici <sup>209</sup>quod causa sit vel fuerit actu causa si nullum effectum habuerit, nec potest dici quod sua causalitas per quam est causa illius effectus sit facta ab ea, et multo minus quod sit facta ab ea per illum effectum ; ergo respectus actualis causalitatis acquiritur cause per solam factionem sui effectus, ad quem per illam causalitatem refertur. Et consimiliter subiectum albedinis acquirit novum respectum ab ipsam albedinem et ad eius adherentiam, nullo alio sibi addito preter ipsam albedinem et eius inherentiam, et idem est de materia respect forme.
- 47 Si autem dicas quod saltem actu vel effectu transeunte debet<sup>210</sup> transire respectu<sup>211</sup> causalitatis eius, dicendum quod pro tanto transit pro quanto ex tunc non potest referri ad illum effectum ut ad presentem, pro tanto autem manet pro quanto semper refertur ad illum ut ad suum effectum preteritum. Secundo fit ex eo<sup>212</sup> quod ab omni mente potest ex tunc vere accipi et considerari sub illo respectu quod antea non poterat, et pro tanto respectu omnis mentis acquirit novum respectum seu novam rationem obiecti respectivi.
- 48 Ad sextum dicendum quod, sicut iam dictum est, potestas regia ponit realiter assistentiam et auctoritatem divini velle, ac per consequens et novam rationem obiectivam in regem<sup>213</sup> respectu divini velle. Ponit etiam verum<sup>214</sup> respectum iuris humani per humanos actus acquisiti<sup>215</sup> regi, nullo alio sibi addito, et hec quidem sunt actu, quamvis a nullo intellectu creato cogitentur.
- 49 Ad septimum dicendum quod vox non habet aliquid in sui<sup>216</sup> natura ex quo plus significet hanc rem quam illam, nisi loquamur de sua naturali significatione secundum quam naturaliter significat suas causas. De hac autem hic non loquitur. Et ideo vox ex se non imprimit<sup>217</sup> audienti suum significatum nec suam significationem, alias omnis audiens intelligeret omne ydioma et proprias significationes eorum, quod est aperte falsum. Ymo oportet quod prius sciat homo quid significat talis vox, antequam per ipsam, sed<sup>218</sup> potius occasione ipsius, de novo advertat res quas loquens intendit sibi per vocem illam

significare. Unde per vocem ipsam non addiscimus absolute suum significatum, sed solum sub certo respectu. Ex hoc enim quod doctor terminos diversimode componit, advertimus rem significatam per unam vocem sic vel sic referri ad rem significatam per aliam vocem.

- 50 Si autem queras quomodo secundum hoc addiscimus quid significet hec vox vel illa, dicendum quod per aliqua signa a voluntate data que habent maiorem<sup>219</sup> connaturalitatem et directionem et<sup>220</sup> aspectum ad talia significata. Unde puero<sup>221</sup> docetur quid significat hec vox « vinum » per hoc quod dicendo hanc vocem nutu oculi vel tactu digiti, ostendimus sibi rem que appellatur vinum aut per aliquam aliam<sup>222</sup> viam consimilem vel equivalentem.
- 51 Ad illud autem de duplicitate pro periurio<sup>223</sup>, dicendum quod, ex quo hec vel illa vox est communiter et a communi intentione seu beneplacito hominum ordinata ad tale quid<sup>224</sup> significandum, non potest quis propria auctoritate ea uti ad aliam significationem absque simulationis<sup>225</sup> dolo, nisi suam intentionem clare exprimat auditori. Unde ratio determinate significationis ipsarum vocum non solum sumitur ab actuali intentione loquentis, set etiam a communi et a<sup>226</sup> habituali intentione hominum illius lingue. Unde bene dicitur quod, sicut actualis significatio vocis est in actuali intentione loquentis et in actuali apprehensione audientis, sic eius habitualis significatio est realiter in communi et habituali intentione hominum.

## <Ad argumenta secundae partis>

- 52 Ad reliqua vero alterius partis satis ex predictis patet, quia absque dubio satis<sup>227</sup> bene probant quod potestas regalis vel consimiles, secundum quod est potestas solius iuris<sup>228</sup>, non est<sup>229</sup> aliqua potentia<sup>230</sup> naturalis et naturaliter agens<sup>231</sup>, et etiam quod prefate habitudines non sunt effectus naturales vel artificiales nec dicunt aliquam essentiam tunc realiter de novo factam, quamvis presupponant quosdam effectus quibus mediantibus acquiruntur<sup>232</sup> et dantur.
- 53 Si quis tamen vellet<sup>233</sup> ex predictis argumentis inferre<sup>234</sup> quod predictae habitudines penitus nichil ponunt<sup>235</sup>, satis ex predictis<sup>236</sup> patet hoc esse falsum. Ad cuius plenioram evidentiam sciendum primo quod potestas regis vel quecumque alia consimilis vocatur potestas, non quia ad modum potentiarum activarum ex se influat et imprimat actiones in aliquo patienti<sup>237</sup>, sed potius quia ex ordine divine et<sup>238</sup> humane voluntatis et iustitie, preceptum datum a rege habet talem vim quod homines sui regni tenentur obedire, et ideo dicimus quod rex habet potestatem edendi precepta et leges obligantes<sup>239</sup> subditos suos ad illa implenda. Quia igitur huiusmodi potestas nichil intrinsecus realiter<sup>240</sup> addit ad personam regis, idcirco<sup>241</sup> potest sic respicere totam eius personam quod non<sup>242</sup> respiciet determinate aliquam eius partem<sup>243</sup>, nisi forte liberum arbitrium et potentias ei subnexas in quantum tales, et ex eadem causa est quod pro tanto huiusmodi potestas simul et sub una forma et ad unum principalem finem uni et eidem persone datur<sup>244</sup> potest dici una. Pro quanto autem ad plura diversimode se extendit et pro quanto posset a dantibus minui et augeri et in plures potestates dividi, potest dici composita ex pluribus potestatibus, non quod in rege ponant<sup>245</sup> aliquam realem compositionem, sed solum in voluntatibus et intentionibus eorum in quibus fundatur, quamvis prout fundantur in voluntate dei, non ponant aliquam realem compositionem vel pluralitatem, sed solum equivalentiam plurium rationum.

- 54 Secundo sciendum quod, licet huiusmodi<sup>246</sup> potestates quantum ad illud quod magis realiter ponunt, principaliter<sup>247</sup> fundentur in auctoritate divini imperii seu divini velle, cui omnis res creata est et esse debet omnino subiecta et precipue creatura rationalis. Nichilominus potestas regis dicitur esse alia a potestate dei et potestas baiuli a potestate regis, quia sicut aliud est esse deum vel regem<sup>248</sup> et aliud tenere locum dei vel regis<sup>249</sup>, sic inter se differunt huiusmodi<sup>250</sup> potestates, quia rex non ex alio potest nisi ex eo quod tenet locum Dei et ex eo quod Deus eum posuit<sup>251</sup> et poni fecit quasi<sup>252</sup> loco sui.
- 55 Si autem obicias quod secundum hoc, oportebit quod potestas regis sit aliqua potestas creata, alias enim non posset realiter differre a potestate divina; si autem est potestas creata, tunc oportet quod sit aliqua essentia creata vel facta illo tempore quo illa potestas fuit regi data, dicendum quod in potestate regis includitur increata potestas dei, non secundum suam totam plenitudinem, sed quoad quid et usque ad quid<sup>253</sup> datur, et ultra hoc dicitur habitudinem regis ad eam et ad regni subiecta<sup>254</sup> per illam; et quantum ad hoc secundum dicitur quid creatum, quantum ad fundamentale quod realiter<sup>255</sup> ponit, quod quidem fundamentale non fuit tunc de novo creatum quando illa potestas seu habitudo dicitur fuisse data regi de novo; cuius ratio et veritas satis ex superioribus patet.
- 56 Ex hoc autem potest consimiliter adverti quomodo quoad quid idem est ius vendentis illud et ementis aut dantis et accipientis<sup>256</sup> et quomodo quoad quid non est idem, pro quanto scilicet alia est habitudo et aliud eius subiectum in quo fundatur. Nec intelligas quod solum sit alia et alia habitudo ex parte subiectorum, immo etiam ex parte aliorum qui mediante illa habitudine nunc respiciunt hunc subiectum, nunc illud, et hoc sub vario ordine, quia secundum respiciunt per primum et post primum. Sicut<sup>257</sup> enim accipiens aliquod ius ab aliquo altero, accipit<sup>258</sup> illud per ipsum et post<sup>259</sup> ipsum, sic consimiliter se habent et respectus aliorum ad ipsos. Et licet in deo non cadat realis alietas vel successio vel posterioritas, nichilominus est ibi fundamentalis veritas plurium habitudinum et rationum, que<sup>260</sup> quantum ad sua obiecta et extrema creata habent ordinem prioris et posterioris, quamvis hoc non habeant in se et secundum se.
- 57 Ex hiis etiam patet quomodo absque aliqua<sup>261</sup> reali et creata infinitate possunt huiusmodi potestates in infinitos et in infinita quantum est ex sua ratione et quomodo possunt super liberum arbitrium plurium et innumerabilium absque aliquo inconvenienti, quia non est hoc per viam potentie active inferentis<sup>262</sup> coactionem vel necessitatem aut motivam impressionem et impulsionem libero arbitrio illorum, sed solam<sup>263</sup> obligatoriam preceptionem.
- 58 Ex hiis patent aut patere possunt omnia in predictis argumenta tacta<sup>264</sup>.

---

## NOTES

1. F. Delorme, « Question de P.J. Olivi “Quid ponat ius vel dominium” ou encore “De signis voluntariis” », *Antonianum*, 20, 1945, p. 309-330.

2. Voir plus haut, S. Piron, « La question “Quid ponat ius?” », *Oliviana* 5, 2016. URL : <https://oliviana.revues.org/840>.

3. et iure] *om. F*

4. iuris seu] *om. F*
5. auctoritatis et] *om. F*
6. utpote] scilicet *F*
7. suos] *om. V*
8. existimo] *estimo F*
9. aliquid vel] vel aliquid *V*
10. illa] *ista F*
11. huiusmodi] *huius F*
12. Solet enim consimiliter] *Consimiliter etiam solet F*
13. date] *data F*
14. aut] *ac F*
15. seu] *huius seu significatio F*
16. vel episcopalis vel] *om. V*
17. et] *om. F*
18. et] *vel F*
19. sine falsi vel ambigui obstaculo contuendam] *om. F*
20. Quod igitur aliquid realiter addant, arguitur] *affirmativa F*
21. quecumque] *queque V*
22. quo] *quod F*
23. deo] *om. F*
24. propter huiusmodi enim] *nam propter F*
25. hoc *add. F*
26. furtum nisi] *nisi furtum non F*
27. factus est] *est factus F*
28. nativitate] *natura F*
29. aliqua scilicet] *scilicet aliqua F*
30. et] *vel F*
31. quod] *quo F*
32. et simile est] *simile est etiam F*
33. qui dat] *om. V*
34. vel] *aut F*
35. secundum] *videtur F*
36. nullus] *in nullo F*
37. etc. *add. F*
38. nichil] *non V*
39. huiusmodi] *huius F*
40. aut] *vel F*
41. a nobis ... aliquid reale] *om. F*
42. quod] *quo V*
43. vox vel
44. ita] *om. V*
45. communi sensu] *consensu F*
46. vere] *om. V*
47. huiusmodi] *huius F*
48. autem – reale addant] *om. F*
49. via septemplici primo scilicet] *om. F*
50. rex vel – ita potest] *om. V*
51. exteriores] *om. F*
52. hoc] *huiusmodi F*
53. conditio] *conditione F*

54. autem] et *V*
55. autem] *om. V*
56. simile] consimile *F*
57. legantis] dantis *F*
58. etc. *add. F*
59. nunc] hic *F*
60. efficere futurum] futurum efficere *F*
61. desinerent esse] desineret *F*
62. esse desinunt cause ille] desinerent cause eius *F*
63. libito] libitu *V*
64. libito] libitu *V*
65. vult] *om. F*
66. ergo etc.] *om. F*
67. protensionem] protentionem *V*
68. et] *om. F*
69. subiecta] obiecta *F*
70. vel] et *F*
71. posse] *om. F*
72. ergo etc.] *om. F*
73. accipientis] recipientis *F*
74. consensus] assensus *F*
75. quomodo] aliquid *F*
76. quin *add. F*
77. consensibus] assensibus *F*
78. aut quomodo tot] et quod quot *F*
79. cooperentur] cooperaretur *F*
80. generationem] receptionem *F*
81. detractio] destructione *F*
82. desitione] decisione *F*
83. primo] *om. V*
84. ius] *om. V*
85. vel potestatis] *om. F*
86. nec] *om. F*
87. in] *om. V*
88. intellectu] intelligenti *F*
89. illorum] eorum *F*
90. simul] similiter *V*
91. consimiliter] similiter *F*
92. extentiam] existentiam *F*
93. illa] ista *F*
94. id] illud *F*
95. nunc vera] necessaria *V*
96. libito] libitu *V*
97. instrumento] *om. F*
98. in quo] *om. V*
99. quod adquisivit ei ius emptionis] *om. V*
100. habet] non *V* nisi *F*
101. et quando per – ad Petrum] *om. F*
102. obiicitur] *om. F*
103. abscedere] ab accedente *V*

104. illam *add. F*
105. monachalis] *om. F*
106. extensum et] extensionem vel *V*
107. addit] addat *F*
108. vel] et *V*
109. ergo etc. Quomodo – poterit tangi] *om. F*
110. diversissima et innumera et precepta] *om. F*
111. dona] dicta *V*
112. quo] *om. F*
113. actiones et] *om. V*
114. utpote] sicut *F*
115. forme] forma *V*
116. ergo etc.] *om. F*
117. presidet] presidens *F*
118. omnibus] *om. F*
119. eiusdem regis sui et omnium aliorum] eius *F*
120. ipsius] eius *F*
121. ergo etc.] *om. F*
122. una] ipsa *F*
123. dignitate et potestate] potestate et dignitate *F*
124. ipsius] ipsarum *V*
125. admissione] obmissione *F*
126. libito] libitu *V*
127. ita] *om. F*
128. ergo etc.] *om. F*
129. questionem istam] quorum intelligentiam *V*
130. illa subiecta] subiecta illa *V*
131. Est enim natura rationalis] Natura enim rationalis *F*
132. est *add. F*
133. rursus] *om. F*
134. ultimo autem] ulterius *V*
135. super essentiam] *om. V*
136. ille] iste *F*
137. eius] ei *F*
138. sibi] *om. F*
139. quod] quo *V*
140. pro] *om. V*
141. hoc] *om. V*
142. quod] quo *V*
143. illud] ipsum *F*
144. existentia] essentia *V*
145. et] aut *V*
146. est] *om. V*
147. volitum] voliti *F*
148. ulterius] item *F*
149. que est] quod est deus *F*
150. seu] vel *F*
151. libito] libitu *V*
152. et] *om. V*
153. dignitas igitur] igitur dignitas *V*

154. hinc] ex hoc *V*  
155. est magis] magis est *V*  
156. hic *add. F*  
157. in reges] reges eligentium *F*  
158. consimilia] similia *F*  
159. consistit] sistit *V*  
160. absolutissima et abstractissima est] est absolutissima et abstractissima *V*  
161. divine sapientie] divina sapientia *F*  
162. vel non fieri] *om. V*  
163. assumitur] assumuntur *F*  
164. illam] eam *F*  
165. seu] vel *F*  
166. sunt *add. F*  
167. vel] et *F*  
168. imperativi et imperative] imperati et imperationem *V*  
169. respectus] respectu *F*  
170. est quid divinissimum, et ideo signum habens talem significationem] *om. V*  
171. dignissimum] divinissimum *V*  
172. et] vel *F*  
173. aliquod ius] *om. F*  
174. divinissimum] dignissimum *F*  
175. baptismi] baptizatis *F*  
176. sanctificationem] significationem *F*  
177. quorum] *om. V*  
178. divini] divi *V*  
179. esse] *om. F*  
180. collocatum] collatum *V*  
181. existente] assistente *F*  
182. autem] *om. F*  
183. ille] iste *F*  
184. quod illud realem addant] illud reale addere *F*  
185. Ad primum igitur prime partis patet] Ergo a primum concedo *F*  
186. prout] ut *F*  
187. iuxta] secundum *F*  
188. et *add. F*  
189. quam solam legem creatam] *om. F*  
190. volito] volitum *F*  
191. hoc] *om. V*  
192. etiam] *om. F*  
193. suum] ipsum *F*  
194. dei] *om. F*  
195. vovens habet] voluit hunc *V*  
196. a] ad *V*  
197. obiectum] obiecto *F*  
198. dari] *om. V*  
199. ab eterno] *om. F*  
200. dilectionis] volitionis *F*  
201. hoc de novo sibi] sibi de novo hoc *F*  
202. omni] *om. F*  
203. et] etiam *F*



204. quia sibi per talem actum - actum] *om. F*  
205. nichil] non *V*  
206. sibi] *om. F*  
207. actualis] actualem *F*  
208. assumunt] sumunt *F*  
209. dici] fieri *F*  
210. debet] deberet *F*  
211. respectu] respectus *F*  
212. ex eo] hoc ex hoc *V*  
213. regem] rege *F*  
214. verum] *om. F*  
215. acquisiti] adquiri *F*  
216. sui] sua *F*  
217. imprimit] exprimit *F*  
218. sed] vel *F*  
219. maiorem] *om. F*  
220. et *om. V*  
221. puero] puer *F*  
222. aliam] *om. V*  
223. periurio] periurium *F*  
224. quid] *om. V*  
225. simulationis] finali *F*  
226. a] *om. V*  
227. Ad reliqua - dubio satis] Rationes pro alia parte *F*  
228. iuris] vocis *F*  
229. est] *om. V*  
230. potentia] ratio *F*  
231. est *add. V*  
232. acquiruntur] adquirantur *F*  
233. vellet] velit *V*  
234. argumentis inferre] inferre argumentis *V*  
235. ponunt] ponant *V*  
236. predictis] dictis *F*  
237. aliquo patienti] aliquod patiens *V*  
238. divine et] *om. F*  
239. obligantes] obligandi *F*  
240. intrinsecus realiter] intrinsecum formaliter *F*  
241. idcirco] ideo *F*  
242. non] *om. F*  
243. partem] potestatem *V*  
244. datur] datum *V*  
245. ponant] ponat *V*  
246. huiusmodi] huius *F*  
247. principalius] principaliter *F*  
248. deum vel regem] regem vel deum *F*  
249. dei vel regis] regis vel dei *F*  
250. huiusmodi] huius *F*  
251. eum posuit] posuit eum *F*  
252. quasi] *om. F*  
253. quid] aliquid *V*

254. subiecta] subiectos *F*  
255. realiter] *om. F*  
256. accipientis] recipientis *F*  
257. sicut] sic *F*  
258. accipit] accipi *F*  
259. primum sic enim – et post] *om. V*  
260. que] in *F*  
261. aliqua] *om. F*  
262. inferentis] informantis *F*  
263. solam] solum *F*  
264. Ex hiis – argumentis tacta] *om. F*
- 

## RÉSUMÉS

Édition de la question de Pierre de Jean Olivi, « Quid ponat ius ».

Edizione della questione di Pietro di Giovanni Olivi, « Quid ponat ius ».

Edition of Peter John Olivi's question « Quid ponat ius ».